



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

5. Cingulum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

V. (g) *Baltheus* quoque Veneris, seu *Cingulum*, aut *Cestus* deliciosus erat ac insidiosus: quippe multa varietate pictus, in quo, juxta Homerum Iliad. 5. *Suavitas*, & dulcia *Colloquia*, & *Benevolentia*, & *Blanditia*, *Suasiones*, *Fraudes*, *Veneficia* includebantur. His enim artibus grafsatur impurus amor ad perdendos eos, qui, cum ipsi dissoluti sint Veneris pulli, etiam alienæ pudicitia, severius cinctæ, solvunt Zonam. Illæ quoque juvenulæ (quod adagio fertur) *cestum habere* dicuntur Veneris, quæ quibuslibet gratiarum oblectamentis amores sibi (etiam vetitos) conciliare student. Vetulæ verò *cesto Veneris indigere* dicuntur, quæ vel muneribus, vel pharmacis, aut fucis amatoris, dilapsam formiam revocare, atque ad alios commendare laborant. Latinis *incestus* dicitur, qui flagitiosè solvit cingulum, justarum & legitimarum nuptiarum Insigne.

VI. (h) Philostratus author est, Venerem in antro molliter infratis floribus recubare, juxta quam fons irriguus vitrea perspicuus claritate prosilit. Ibi amatoriam videri supellectilem, pyxidas, pectines, specula, Cymbala, variæque amœnitatum & illecebrarum illectamenta. Atque hæc sunt illa crepundia, quæ magnorum etiam virorum emolliunt, & pervertunt pectora. Cognomen inde Veneris apud Romanos veteres, ut *Verticordia* appellaretur. Atque hæc est illa Dea, quæ Martem ipsum, cunctis terribilem, blanditiis suis pellexit, & decepit. Deprehensos in scelere Jupiter reti implicavit, & Soli, cæterisque Divis videndos exposuit. Adeò nullum flagitium est tam occultum, quod superos lateat, & non tandem etiam hominibus pateat. Sectetur licet umbras & antra, & occulta furta Venus; protrahentur in lucem, & clandestinæ turpitudinis ignominiam palàm subibunt, in illa certè valle, cuius umbras discutiet & dissipabit decretorius, universalis judicii dies.

VII. (i) Post Martem blandimentis irretitum etiam adolescentulis insidiatur hæc dolosa venatrix. De Adonide referunt fabulæ, eum ob formæ elegantiam Veneri in deliciis fuisse; venantem in Idalio nemore (ei Divæ sacro) ab apro occisum & laceratum; Extinctum, à Dea defletum, & ad doloris lenimen in florem *adonium*, purpurei coloris, esse commutatum; eique annua festa (*Adonia*) instituta, quæ multo cum planctu celebrabantur: ut Veneris luctus iis repræsentaretur. De his Ezechiel c. 8. *Et introduxit me (genius cælestis) per ostium porta Domus Domini (Templi Solymæi): & ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.* Prò nefas! ergo matronæ Hebrææ, veri Numinis cognitione imbutæ, detestanda Veneris sacra colunt? Et quid? plangunt amasium propudiosè

(g) *Baltheus* seu *Cestus*, (h) *Veneris supellex & antrum.* (i) *Veneris delictum Adonis.*